



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Rosa In Hieme

Mertz, Martin

Antverpiæ, 1627

Capvt XII. Conuersatio eius ad alios.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42750

60 VITA WILHELMI ROTHENSIS
ad portam Collegij Patrum Soc. IESV, pe-
tens aditum ad R.P. Iulium suum Confes-
sarium, vt confessionem ei facere posset;
sibi enim in animo constitutum esse pro-
ratione sacræ diei ad sacram Synaxin acce-
dere. Nuntiatur id Patri: qui VVILHELMO
non admisso renuntiari iubet, secedat in
pace, ac secura mente communicet: quod
& ille simplex Obedientiæ filius absque
tergiuersatione fecit. Hoc autem quantam
& à quanto tempore intimè perspectam
conscientiæ puritatem animq[ue] innocen-
tiam demonstret, quiuis vel parum pru-
dens facile ipse æstimare poterit: rarū sānē
hoc est, & in tali ætate rarissimè auditum.
Similia omnino testimonia in eamde rem
dixit R.D. Georgius Kurtz ei in Monaste-
rio à Confessionibus: afferuerat quando-
que, nolle se amplius exomologeses illius
excipere, quòd & indignus foret tanto
tamq[ue] immaculato homini Pater spiri-
tualis esse; & ipse VVILHELMVS non affer-
ret vnde absoluendi materies suppeteret.

C A P V T X I I .

Conuersatio eius ad alios.

EA est natura & conditio vitæ inculpatæ
sancteque transactæ, vt non solùm intra
pro-

proprij pectoris angustos terminos occulta latere , sed in apertum progressa manifestis indicij s. palam se ostendere velit & debeat: vt ita cum videntur opera Iustorum probata , glorificetur Pater ille pietatis qui in cælis est ; & hac præterea ratione vnuſquisque proximo suo charitatis ac misericordiæ opera , sanctæque conuersationis dulcedinem impendere possit: sine quibus languet quasi arefacta pietas , iacet quasi emortua sanctitas , cum nequaquam fieri possit , ut sanctè viuas , conuersationem interim ad alios habeas prauis quibusdam motibus , aut alijs quibuscumque vel contra decus vel contra charitatem næuis vitiatam . Huīus absolutum exemplum in VVILHELMO nostro aduertere videreque licuit , qui tali in omnibus rebus usus est temperamento , vt erga alios , maximè Fratres suos (nam cum mundanis rarus esse studuit , & iuxta antiquorū Patrum consilia , imò præcepta , aut numquam , aut si necessitas exigeret , paucis & breuibus , cum ijs agere id admodum religiosè voluit) conuersationem miro dulcedinis & suavitatis sale condiret , singulari animi demissione , modestia & aliorum obseruantia gratam iucundamque redderet . Et quamuis sanctitatis suæ altitudinem excellentiamque multum oculere

alla-

62 VITA WILHELMI ROTHENSIS
allaboraret, non tamen effugere potuit, quod
minus ea saltem aliquibus patesceret. Et
certè tanta erat fragrantia morum, ut vel
paullum purgatæ mentes non possent eam
non aduertere, ac in sancto suo famulo
Dominum Deum collaudare, & eius mira
dona in conuersatione VVILHELMI emi-
cantia admirari. In sermone erat suprà
quām credi posset comis & demissus, non
loquens nisi de rebus cœlestibus, aut quæ
profectum animæ vel inflammationem
pectoris inducerent: quibus colloquijs vix
credi potest, quām audie in hiauerit. In con-
uersatione porrò illius circa oculos, circa
membra, circa totum corpus animumque
nihil videre erat nisi Angelicam summe-
que admirandam modestiam, & virginis
cuiusdam verecundissimæ pulcherrimam
ideam. Omnis denique eius conuersatio
erat dulcis, affabilis, grata, instruens, in-
flammans, & omnibus omnia facta, ut per
eam gloriose & se & omnes Fratres lucri-
faceret.

C A P V T X I I I .

Fides VVILHELMI & Charitas in Deum.

FIDEM hīc non intelligo eam quæ fun-
damentum totius Christiani ædificij
pri-